


Matthias Ferdinand Czura à Podtaborzi


**Oratio De Homine : In illustri Academia Witebergensi ... habita Die 12. Novemb.
Anno 1603.**

Witebergae: Meisner, 1603


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn779458737>

Druck Freier  Zugang





Mb - 1396.



(auf in Nb. listens 1048 angeführt.)



[Faint, illegible handwritten text]

[Faint handwritten text on the right edge of the page]

[Faint handwritten text on the right edge of the page]

ORATIO
DE HOMINE.


In illustri Academia VVitebergensi

à

MATTHIA FERDINANDO,
Czura à Podtaborzi B. B.

Habita

Die 12. Novemb. Anno 1603.



WITTEBERGAE

Excudebat Wolfgangus Meisner,

Anno M. D. CIII.

Ma

GENEROSI ET ANTI
QUA NOBILITATE ILLUSTRIS
VIRI, DOMINI ADALBERTI VVENCESI-
LAI CAPLERZ, de Sulevvicz &c. Domini
in Brodecz cis Iferam: &c.

PREFECTO DIGNISSIMO
DOMINO IOHANNI CZVRÆ,
à Podtaborzi Parenti suo mellitissimo,
hunc ingenij sui fœtum primum.

Observantiæ ergo offert,

Matthias Ferdinandus,
Czura, Filius.

Ad Dominum

MATTHIAM FERDINANDUM,
Czura. Orationis hujus Authorem,
Amicum intimum.

Qui, quid Homo, nescit fusca caliginis umbra
Plenus, nosse DEVM qua ratione potest?
Noscere te gestis, CZVRA, ergo maxima gestis
Noscere; nosse DEVM, hæc semita prima tibi:
Structuram cernis? nihil est divinius illa:
Sin mentem? majus mente quid esse putas?
Hac ubi perspicies, dein te cognoveris ipsum,
Et vires Pylij plurima lustra senis.

Jonas Pessler Iglaviensis. Med. Cz.

ORATIO

DE HOMINE.

Neminem vestrum, Auditores Humanissimi, esse puto, qui miranda & insolita quæ sunt summoperè totisq; viribus expetere non contendat, siquidem hoc omnibus hominibus proprium, vnde & Aristoteles l. i. Metaphyl. i. *Omnes homines naturâ scire desiderant*, scriptum reliquit. Hæc dum ego animo volvo meq; circumspicio atq; aliquid novi scire aveo, nil magis mirari, nil insolitum mihi videtur contemplatione ipsius hominis, imaginis templiq; Dei, omnium rerum mensuræ, potentia, parvi mundi, ita quidem ut merito cum Zoroastre Philosophorum non minimo, mihi exclamandum sit, *ô Homo audacis natura miraculum*. Memoria proditum est barbarum quendam Abdalam interrogatum, quid in hac mundana scena maximè putaret admirabile? non barbare sed scienter respondisse fertur, *Humanum Corpus, ob natura majestatem omnem admirationis captum excedere*, quippè quod cum magni istius mundi simulachrum sit, possit Protei cujusdam more subito in quidvis sese transformare: Vnde Philosophus *Hominem potestate omnia esse*, dixit. Favonius etiam, Nil in terris magnum, præter hominem, affirmavit. Sic & Mercurius trismegistus, hominem miraculum animal adorandum & venerandum *Deum mortalem* appellitare non veritus fuit. Cujus appellationis Cicero 2. Off. rationem reddit inquiring, Proximè & secundum *Deum* homines hominibus maximè utiles esse possunt. Et i. de Legib. Nullum est animal præter hominem quod habeat aliquam notitiam Dei. In summa tanta est hominis, imò humani ingenij admiratio, tanta divinitas, tanta docilitas, tanta corporis obsequentis divino illi ingenij muneri facilitas, vt non solum diversarum nationum, tot idiomatis distinctarum linguas ediscere & eloqui, verùm etiam divinis & humanis se maximoperè exercere, præceptisq; omnia comprehendere, valeat. Quis ergò hujus structuræ ejusdem actionis, operationis, & omnium aliarum ab ipso homine proficiscentium, non admiraretur? Quis quæso hunc ipsum cum omnibus functionibus contemplari non arderet; integramq; cognitionem sibi in animo ponere non studeret? Hæc

cùm ita sint mearum etiã partium esse, hominis statum à primo ortus limine, ad mortis usq; extremam horam paucissimis describere, duxi. Oraculum enim Apollinis, cujus mentionem Plato in Alc. facit, ad me quoq; pertinere arbitratus sum, quod nimirum quisq; ad sui cognitionem incitetur, homoq; non homo appellandus, qui se ipsum non novit, multò minus ille, qui se noscere non exoptet, vt & alterum Delphicum γνώθι σε αὐτόν: nosce te ipsum. Antequam verò ipsam rem aggrediar, mihi benignas aures, vt præbeatis, etiam atq; etiam oro.

Principiò hominem ab humo ceũ matre ex qua redijt, & in quam redibit Genes. 2. & 3. vt notat Lactant. l. de Ira Dei, c. 10. Ambrosio l. 6. de operatione 6. dierum, ab humanitate veluti principali virtute, quæ maximè decet hominem; alijs à græco δμῶν quod ad societate sit conditus atq; natus, dici animadvertendum. Græcis autem vocatur Homo ἀνδρῶπιον, ab ἀνὰ sursum & τέπω veros: vcl ἀνω ξεκοντα quod sursum vergat, cujus notationis rationem Ovid. in Metamor. eleganter tradidit.

Pronaq; cum spectans animalia cœtera terram.

Os homini sublime dedit, cœlumq; videre

Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Et patens Eloquentiæ i. de Leg. Cœtera animalia abjecit ad pastum, solum hominem erexit, & ad cœli quasi cognitionis, domiciliq; pristini conspectum excitavit. Tùm speciem ita formavit oris; vt in ea penitus, reconditos mores effingeret: nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affectuissimus, loquuntur: & is qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, iudicat mores. Vnde Thales Miles: ob id, inquit, oculi nobis dati, vt cœlum communem nostram patriam intueamur, spectare enim homo cœlum debet, vt Deum, quem oculis nequit, animo contempletur; & libera facie atq; oculis quæq; aspicere homini incumbit. Definitur autē à Cic. quod sit animal providum, sagax, multiplex, acutum, plenum rationis & consilij, vel juxta communem opinionem, Animal rationale duabus constans partibus Anima & Corpore. Hic ipse homo varias & insignes mutationes subire cogitur & in vno eodemq; statu permanere nequit, sed paulatim superiora quasi petit, postea iterum deficit, & ad extremam usque corruptionem declinat. Has mutationes seu
ordi-

ordines hominis veteres *Ætates* appellitarunt. Quarum Prima, *Infantia* vocatur, durans usq; ad septimum ætatis annum, ab in & fari: quod tùm homo facultatè loquendi nondum habeat. Omnis enim homo primò vivit vitam Plantæ: Deinde animalis, Tertio ipsius hominis. In hac ergò ætate majus tempus lactationi infumitur, quo membra ali, nutrire & augeri queant. Deinde paulatim dentes crescunt, ut cibum sumere, ne matrem planè exhauriat, possit. Vnde crescere, loqui, ambulare & alias actiones humanas edere incipit. Hæc certè ætas, temperamento calida & humida existit, quod hinc maximè colligitur, non ità procul à suis ipsorum generationis principijs, semine & sanguine materno abesse: prima namq; pueri in utero matris constitutio, ex semine & sanguine rebus calidis & humidis est; Cùm verò paritur adhuc humidissimus est, non modò in sanguinis vasis, visceribus & carne, quæ planè muscosa est, sed quoq; nervis ligamentis, imò & ossibus: quæ tamen omnium in nobis existentium siccissima esse constat. Siquidem ipsa tenera flexibilia, adeoq; quasi cerea sunt, ut facile sequantur quocunq; ducas. Atque hinc fit, quod nutrices illa, ad arbitrium suum fingant, firmentq;.

Huc succedit *pueritia*, extendens se ad secundum septenarium, id est, annos 14. & tunc homo pubes efficitur: partes enim paulatim exsiccantur, & ad pleraque munia aptus.

Tertia est *Adolescentia*: quæ producit usq; ad quartum septenarium hoc est 28. annum, dicta ab adolescendo seu crescendo, usque enim ad illud tempus adolescit & crescit homo, adeoque est optimi temperamenti, partesq; omnes exactissimè necuntur, ut jam perfectas actiones obire possit.

Quarta est *Juventus* a juvando, eò quod tunc fortior fit homo aptusq; ad juvandum: In hac annos pubertatis & adolescentiæ planè egressus est, vnde Terentianum illud; Excessit ex Ephemis: Extenditur verò ad 35. usq; ubi florescentia & vigor omnium calidaq; & sicca existit, hac ætate homo fervorem sentit, & audax, nec rectè quæq; æstimat.

Quinta est *Virilis*, quæ ab Isidoro senectæ seu gravitas vocatur, media est inter juventutem & senectutem. In hac vires conflunt, subsistunt, nec amplius crescunt, imò minui potius incipiunt. Vnde & declinans appellata, finitur autem 49. anno.

Sexta est *Senectus*, cuius tres partes seu differentiae recensentur. Prima virilis senectus, quod nimirum adhuc ad rempublicam gerendam idonei sint, & Civilia negotia obire queant: Hæc incipit anno 50. & ad 60. usq; durat.

Secunda differentia senum, eorū est, qui civilia munia propter virium imbecillitatem obire non valent, & quibus hoc nomine jam debetur quies ac delicatior vita juxta Laertem Homericum.

Jsq; videris qui dapibusq; refectus

Molle cubile premas namq; hæc est vita senilis.

Eius initium est anno 60 & protenditur usq; ad 70 media differentia causa dici potest.

Tertia eorum senum quorum jam quasi pompa funeris duccenda sit, ad infernum, orcumq;, qui ad manes jam jam mittendi alterumq; pedem in tumulo habent.

Hæc est omnium postrema vitamq; claudens ætas, quæ decrepita nuncupatur, qua & sensus diminuitur, sanguis friget & ratio sensim deficit atq; torpet; orditur anno 70 & durat ad vitæ usq; finem: qui magna ex parte anno, ut sacræ, testantur literæ 80 instat, Est autem senectus in univsum frigida & sicca: siquidem solidæ senum partes, nempe ossa, membranæ, ligamentâ, arteriæ, venæ, nervi, tunicæ, carnesq; omnes siccæ sunt: ut merito Aristoteles senium marcescenti stripi assimilaverit. Ut enim stirpes, dum novellæ sunt, molles humidæq; cernuntur, senescentes autem assidue magis siccescunt, postremum aridæ prorsus redduntur, idq; ipsis mors est: Ita quoq; animal quanquam vitæ ingressu, ut ostensum est humidissimum existit, tamen indies longius procedens magis magisq; siccatur & arefcit, ut cum jam senectutem extremam maximè attigerit, non modo ossa arida sint, & humoris expertia, verum etiam caro.

Ut itaq; sex Ætates quas humanum genus subire ab illisq; variè mutari cogitur, numerantur, sic quoq; ex contrario sensu sex inveniuntur, quibus homo sustentatur, vita, sanitasq; conservatur, quæ sanitatis conservatrices dicuntur nimirum aer, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, evacuatio & retentio, animiq; affectus,

Verum Auditores quispiam vestrum contra mea prolata instare & obijcere poterit, hæc omnia minus vera esse, cum minima

ñima pars hominum has omnes aetates percurrat. Quidam enim in Infantia, quidam in ipso flore juventutis vitam cum morte commutant, cui brevibus respondendum puto, summi opificij providentia constitutum esse, ut quod ad tempus accepimus temporis etiam suo reddamus, & dum ex hac parte corrumpimur, semper iterum generationi alicui materiam præbeamus, donec tandem Elementum unum quodq; liti ac discordiæ exemptū alieno de loco in propriū migraverit, nativq; in sede manserit, ut demum in alterius proximi simplicioris Elementi generationem cedat: Vnde rectè ab Aristotele dictum, unius corruptio alterius est generatio. Cum itaq; nullum reperiatur Corpus, licet constitutione optima præditum, quin ut primum in lucem editum fluoribus semper quibusdam obnoxium sit: quā primū enim calor corporis nostri agere incipit, exsiccamur ipsi donec absorpta omni materia nos in sicco destitutos relinquat, quæ senectus est & mortis vicina prænuncia.

Atque hæc est illa mortalitatis nostræ necessitas quæ nulla ratione evitari potest, tum ob Elementorum contrarietatem ex quibus constat homo, quorum quædam oportet alia superare, alioquin non fierent operationes quæ caloris dominium exigunt, tum propter maleficæ privationis contrarietatem ad formam, quæ facit hominem tendere ad non esse ut loquitur Aristoteles, ex quibus cuiq; planum & perspicuum esse poterit, mortem aliam esse naturalem, aliam minus naturalem seu violentam, illa ratione caloris nativi, qui primitus radicitusq; semini inest, nosque semper quoad extremum usq; Spiritum trahimus, comitatur, estve instrumentum quo alimur, fovemur ac omnibus fungimur operationibus, dum nimirum ille partes exsiccat, humidum radicale destruit, seq; ipsum planè perdit, ut homo mori quod naturaliter fit cogatur: Hæc vero, violentam intellige mortem, quæ tam juvenibus quàm infantibus familiaris, partim ab externis, ceu sunt frigus, calor, injuria hominum, ferarum, dæmonum, veneni &c. partim ab internis affectibus, nimirum animi, Tristitia, Ira, morbo, huiusq; causa & Symptomate, fieri consuevit.

Atq; si hominem pro virili descripsisse, quoad munia quæ subire cogitur, sufficiat,

D I X I.

AD

AD AUTHOREM.

ORATIONIS



Um natura parens Hominem cognoscere malit
Quid sit, & vnde trahat stamina quæq; sua
Tu merito quid sis, tandem quid flore cadente
Esse queas, calamo FERDINIANDE doces.
Pergito proin felix tanto procedere cursu,
Spes Patriæ, Patris floscule, matris amor.


Andreas Kraczkowsky Novodome-
nus Boh.


ALIUD.




Agnum HOMO miraculum est: in quo, ceu Regis Imago
In nummo, Archetypi cernitur esse DEI.
Divinum est Animal: rerum mensuraq; Finis:
Quod qui non noscit cætera nemo potest.
Ergo his MATTHIA monitus bene pergis Amice,
Hoc, tua dum doctè pagina scripta canit.
Perge igitur captis, studijs sis fidus amicus,
Illa tibi magni muneris instar erunt.


Venceslaus Romanides Bydzo-
vinus Boh.








Gebunden
von
L. A. GARBE
Rostock
Breite Str. 25.





innum has omnes ætates percurrat. Quidam enim in
m in ipso flore juventutis vitam cum morte com-
vibus respondendum puto, summi opificij provi-
tum esse, ut quod ad tempus accepimus tempori-
amus, & dum ex hac parte corrumpimur, semper
lioni alicui materiam præbeamus, donec tandem
um quodq; liti ac discordiæ exempti alieno de loco
graverit, nativaq; in sede manserit, ut demum in
i simplicioris Elementi generationis est generatio.
tele dictum, unius corruptio alterius est generatio.
illum reperitur Corpus, licet constitutione optima
ut primum in lucem editum fluribus semper qui-
sium sit: quã primũ enim calor corporis nostri agere
mur ipsi donec absumta omni materia nos in sicco
iquat, quæ senectus est & mortis vicina prænu-
ciat, hæc est illa mortalitatis nostræ necessitas quæ nulla
potest, tum ob Elementorum contrarietatem ex
t homo, quorum quædam oportet alia superare,
terent operationes quæ caloris dominium exigunt,
aleficæ privationis contrarietatem ad formam, quæ
tendere ad non esse ut loquitur Aristoteles, ex qui-
am & perspicuum esse poterit, mortem aliam esse
am minus naturalem seu violentam, illa ratione ca-
ni primitus radicitusq; semini inest, nosque semper
im usq; Spiritum trahimus, comitatur, estvè instru-
alimur, fovemur ac omnibus fungimur operacioni-
rum ille partes exsiccat, humidum radicale destruit,
nè perdit, ut homo mori quod naturaliter fit cog-
us violentam intellige mortem, quæ tam juvenibus
ous familiaris, partim ab externis, cœu sunt frigus, ca-
minum, ferarum, dæmonum, veneni &c. partim ab
ibus, nimirum animi, Tristitia, Ira, morbo, huiusq;
tomate, fieri consuevit.
hominem pro virili descripsisse, quoad munia quæ
sufficiat,

D I X I.

AD